



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio LXXXVII. Christus, licet multùm à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

cusque fortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes & cateram multitudinem &c


S. Aug. serm.
107 de Temp

Judic. 16. 23

Luc 23. 47.

Salmer. Tom.
10. tr. 40.

Samson Christi typus fuit, ita S. Augustinus, illusi & irrisi in cruce; Samson vindictam in hostes spiravit: *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc sortitudinem pristinam, Deus ultionem recipiam*: Christus crucem clamavit: *Pater, dimite illis*, proinde omnia ejusmodi scommata & convitia patientissimo animo sustinuit; potuisset quidem, & hoc sine dubio, duas crucis ad invicem concutere columnas, & uno momento perdere mundum universum, non tamen fecit, ut inimicis suis adhuc praeberet poenitentiae spatium, unde multi adhuc ex illis irrisoribus ad Deum conversi sunt: *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Verè hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui steterant ad spectaculum istud, & videbant quae fiebant, percutientes pectora sua vertebantur.* Finio hanc considerationem cum doctissimo Salmerone, qui ex praedictis derisionibus Christi hanc moralem eruit doctrinam: *Hac impropria maxime nobis posuit adversus illa, quae in hora mortis consuevit demon in nos jactare. Nam cum videt corpus deficere, & anima exitum insinuat, Sathan omnia peccata, quae suis suggestionibus admisimus, nimio terrore nobis objicit, ut in desperationem inducamur, sed fructum passionis Dominicae consecutis irrisiones Sathanae nocere non possunt. O Christiani, fugiamus ad passionem Jesu &c*



CONSIDERATIO LXXXVII.

Christus, licet multum à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei. Matth. 27. 42.

I.

Eleazarus unus de primoribus, & vir Sanctus, cum pro lege Dei extrema pateretur tormenta, non descendit de cruce & equuleo, in quo erat suspensus, & rigide, velut tympanum, distentus, ac fustibus pulsatus, sed permansit in omni tentatione con-

constantissimè, & usque in finem fortiter, illustre ac gloriosum Septem Fratribus Machabæis, cæterisque in veteri testamento ad martyrium præbens exemplum: *Duros corporis sustineo dolores: secundum animam verò propter timorem tuum libenter hac patior.* Supra quod Cornelius: *Eleazarus distentus, pulsatusque in tympano typus fuit Christi in cruce distenti, malleisque pulsati, & crucifixi.* 2. Mach. 6. 30.

Christus pendens in cruce, licet iteratò à perfidis Judæorum primoribus ad descensum sollicitatus: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei &c.* non tamen descendit, ut nos doceret in cruce perferenda, & in bene cœptis perseverantiam, non enim quis salvus esse potest, nisi quis perseveraverit usque in finem. Matth. 27. 42.

2. Venerunt aliquando ad Christum Dominum tres juvenes bene nummati, qui illius discupiebant fieri discipuli. Primus erat Scriba, & in lege peritus, qui videns Christi miracula & populi applaudentis concursum, sine mora desiderabat ei associari, unde dixit: *Magister, sequar te quocunque ieris;* ad quem Dominus: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et sic dimisit eum. Matth. 8. 19.

Venit & secundus humiliter flagitans, ut in discipulum ab eo reciperetur, sed prius ut sibi liceret patrem suum sepelire: *Domine, per-mitte me primum ire, & sepelire patrem meum.* Ad quem mitissimus Salvator: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Abiit & hic spe sua frustratus & desolatus. Matth. 8. 21.

Venit & tertius impensè rogans: *Sequar te Domine, sed per-mitte mihi primum renuntiare his, quæ domi sunt.* Sed & ille juvenis rejectus est, & abiit tristis; post quorum abitum Veritas Christus ad cæteros conversus discipulos dixit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Quæres hic prudens Lector, quale sit hoc aratrum, ad quod debemus manum mittere? Luc. 9. 61.

3. R. S. Ambrosius: *Crux est in aratro.* S. Justinus: *Terra sine crucis vestigio non aratur;* Et S. Maximus: *Bonus agricola, dum aratro dentale sub-* S. Amb. ser. 56. S. Justin. in Apologetico.

ivit, affigit aures, stivam inserit, figuram crucis imitatur. O bone Jesu! tu fuisti agricolæ Filius, quia ipse dixisti: *Pater meus agricola est,* qui à primo vitæ instanti misisti manum tuam ad aratrum crucis, & nunquam eam deseruisti, nec respexisti retrò. Perierunt quidem improbi Judæi, ut descenderes de cruce, non tamen descendisti, ut nobis præberes in omni virtute, ac præsertim patientiæ & tolerantia exemplum; si enim de crucis infami patibulo post unam, alteramve horam descendisses, quomodo tot milliones SS. Martyrum in tam immani carnificina, quam pro te & fide tua sustinebant, potuissent S. Max. ho. 2. de cruce, Jo. 15. 1.

Salm hic.

sent constanter perseverare? Juvat hic audire doctissimum Salmernem: *Si Christus, inquit, non perseverasset, quis Martyr perseverasset in tormentis, quis Christianus in bonis operibus? O quantum hic de cruce descensus univérse prajudicasset Ecclesia! non enim Angelorum restaurata fuisset ruina, nec devictus hostis infernalis, nec idololatria profligata, nec peccatum expiatum, nec paradísus apertus, nec mors superata, nec de rigore justitiæ divinæ satisfactum, nec denique genus humanum redemptum; proinde Christo perseverandum erat usque ad finem fortiter & constanter in cruce. Et tu, anime mi! quotidie de tua vis descendere cruce? Perseverandum est, perseverandum est, non enim qui bene incepit, sed qui usque ad finem perseverabit, coronabitur, unde S. Bernhardus: *studete perseverantia, qua sola coronatur.**

Luc. 9. 62.

4. His præmissis, & attentiore mente consideratis, facilius capio, quòd prædicti tres juvenes, qui Christi affectabant sequelam, tam citò ab ipso fuerint rejecti: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Observa illorum juvenum inconstantiam, manus quidem ad aratrum crucis volebant applicare, sed non respicientes retrò abierunt, & sic non apti erant regno Dei. Perseverandum igitur illis erat in bene cœptis, unde S. Laurentius Justinianus *Solum non perseverasse, est amisisse coronam.*

Gen. 19. 17.

Si perseverasset uxor Loth in bono suo proposito, nunquam versa fuisset in statuam salis: *Respicens uxor ejus post se, versa est in statuam salis,* cujus memor Christus hanc mortalitati humanæ reliquit doctrinam: *Memores estote uxoris Loth, quæ periit, quia retrospexit.*

Luc. 17. 32.

Cant. 3. 2.

Luc. 17. 4.

Si Sponsa non perseverasset in quærendo Dilectum suum: *Quæram quem diligit anima mea, nunquam eum invenisset.* Si pastor non durasset perditam suam in deserto inquirendo oviculam, eam non reperisset. Si mulier illa Evangelica drachmam suam perditam, vel potiùs gemmam non tam sedulo ac constanter quævisset, & ipsa spe frustrata abiisset. En virtus boni operis perseverantia est, multorum enim est incipere, sed paucorum perseverare. Bene cœpit Saul, Salomon, Judas, Tertullianus, Origenes & alii innumeri, etiam nobis notati, sed malè finierunt, non enim qui bene cœpit, sed qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit. Denarius diurnus non datur incipientibus, sed bene finientibus. Miles non reportat palmam, nisi obtineat victoriam. Non omnibus qui in stadio currunt, corona datur, sed illis duntaxat, qui attingunt metam, Proinde anime mi; *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Math. 24. 13

Apoc. 2. 10.

Math. 4. 6.

5. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum,* dicebat quondam Sathanas ad Christum, ubi ex deserto post quadragenarium jejunium completum eum

eum rapiendo per aëra super pinnaculum templi statuit: *Mitte te deorsum*. Hoc fecerunt & Judæi, dum clamabant ad crucifixum IESUM: *Descende de cruce*, in quo se declarabant filios & discipulos diaboli; unde S. Hieronymus: *Mihi hoc videntur demones immittere, statim enim ut crucifixus est, senserant virtutem crucis, & intellexerunt vires suas fractas, & hoc agunt, ut de cruce descendat: Sed Dominus sciens adversariorum insidias permanet in patibulo, ut diabolum destruat. Dico non pro qualibet contumelia & verbo aspero descendere de cruce patientiæ &c. Durandum, durandum: Durate, & vosmet rebus servate secundis.*

S. Hieron. in
Matth. hic.

Et credimus ei. O mi Redemptor! Ecce bonum nuntium fero, nunc Judæi volunt in te credere, hoc unum fac: *Descende de cruce.* Subintrat hic S. Hieronymus: *Fraudulenta promissio, quid est plus de cruce adhuc descendere viventem, an de sepultura mortuum resurgere? Resurrexit, & non credidistis, ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis.* Permansit patientissimus IESUS in cruce constantissimè, & sic plenam de peccato, morte, diabolo, ac mundo obtinuit victoriam, ubi mors & vita duello conflixere mirando. Pro reflexione morali juvat hic audire Thomam Kempensem Ascetam sapientissimum, juxta ac piissimum: *Domine Iesu, inquit, sicut dixisti, & promissisti, sic utique fiat, & mihi promoreri contingat.* Suscepi, suscepi de manu tua crucem, portabo, & portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi. Verè vita boni Christiani crux est, & dux paradisi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. *Eja Fratres pergamus simul, IESUS erit nobiscum. Propter IESUM suscepimus hanc crucem, propter IESUM perseveremus in cruce. Erit adjutor noster, qui est dux noster & praeceptor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati mori fortiter in bello, nec inseramus crimen gloriae nostrae, ut descendamus de cruce, aut fugiamus de cruce.* O quam bene ac sapienter pro omni statu!

Matth. 27. 42.

S. Hieron. in
Matth.

Thom. Kemp
de Imit. Chr.
l. 3. c. 56.

6. Coronidem huic nostræ Considerationi addat Venerabilis Magdalena Ursina ex Ord. S. Dom. Hæc pluribus annis in S. Religionem piissimè transactis, gravissimis morbi molestiis à Deo tentata ac probata est, in qua assidua afflictione suspirabat ad suum crucifixum Amorem: *Domine, usque quò?* Et ecce apparuit ei Dominus cruci affixus, monens eam, ut firmiter secum in cruce perseveraret. Ad quæ verba illa: *Bene est Domine, dolores tui & pœna trium tantummodò horarum spatio durarunt, & tu plurimis me has sufferre sine intermissione jubes?* Ad quam crucifixus Dominus: *O ingrata! ego à primo conceptionis meae momento crucem hanc perpeti cepi, tormenta omnia, ac singula praelibans, quæ postea deductis labris exhausti. Erubuit ad hanc vocem afflictæ, & cautior facta usque ad mortem in sua cruce perseveravit. Vade, & fac similiter.*

Had. Lyr.
de Chr. Pam.
f. 508.

Ginther Unus pro omnibus.

T t

CON-